



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Epitome Instituti Societatis Jesu

Sesti, Curtius

Bruxellis, 1690

Cap. III. Quid præstandum, & omittendum à Præposito Generali.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-68440](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-68440)

CAPUT III.

Quid præstandum, & omittendum
à Præposito Generali.

1. **P**ræpositum Generalem ad re-
ctam muneris sui administra-
tionem iuvabunt. 1. Auctori-
tas. 2. Exemplum vitæ suæ. 3.

Mortificatio inordinatarum affectionum
interna, externaque. 4. Severitas cum be-
nignitate conjuncta. 5. Amor erga So-
cietatem. 6. Preces, & Sacrificia; in qui-
bus potissima ejus fiducia sit. 7. Sollicitudo
regularis observantiæ. 8. Tempus (quan-
tum per valetudinem licet) impensum uti-
liter, partim agendo cum Deo, & officia-
libus, partim seorsim considerando. ^a

2. Ut locus magis conveniat ad commu-
nicationem Capitis cum suis membris,
conferre plurimum potest, ut idem magna
ex parte Romæ resideat: ubi cum aliis om-
nibus locis Societatis faciliori utetur com-
mercio; & quia ibidem est Curia Romani
Pontificis. Poterit nihilominus subditos
aliis in locis visitare; & prope Romam
aliquando habitare. ^b

3. Cum novus Christi Vicarius in Apo-
sto-

*Quid univer-
sè.*

^a P. 8. c. 1. §. 6.
& G. & P. 9. c.
2. & c. 3. §. 8.
& c. 6. §. 1. &
A. §. 2. & §. 13.

*Ejus Residen-
tia.*

^b P. 8. c. 1. §. 7.
& H. & c. 5.
§. 1.

*Quid erga
Pontificem.*

stolica Sede fuerit constitutus, per se, vel per alium, intra unum ab ejus creatione, & coronatione annum, tenetur Præpositus Generalis ejus Sanctitati declarare professionem, ac promissionem expressam Obedientiæ, qua ipsi Societas peculiari voto circa Missiones, ad Dei gloriam, se obstrinxit. *c* Et generatim memor sit, in primis conservandam benevolentiam Sedis Apostolicæ; cui peculiariter obedire, & inservire debet Societas: cum hæc ejus prima, & summa Obedientia statuatur. *d*

c P. 7. c. 1. §. 8.

d Paul. III. p.

10. & Jul. III.

p. 62. & P. 6. c.

1. §. 1. & P. 7. c.

3. §. 1. & P. 10.

B.

Quid eum declinare oporteat.

4. Ejus præterea officium proprium non est concionari, nec Confessiones audire, aut alia hujusmodi; nisi quid præstare hoc in genere subinde per alias occupationes officii sui ei liceat; quin ipsas Missiones Pontificias, ut recusare non potest, ita nec debet affectare, aut petere, sine Societatis consilio, nec magnopere occupari debet in cura rerum particularium Societatis, quas plerumque rejiciet ad suos Officiales, etiam in ea Domo, ubi residet. Multò minus implicari debet negotiis secularibus, licet piis; ne tempus, ac vires ad ea, quæ pertinent ad ipsius officium, (quod quidem magis, quàm totum hominem requirit) eum destituant. *e*

e Paul. III. p.

12. & Jul. III.

p. 64. & P. 7.

c. 1. §. 2. & D.

& P. 9. c. 6. §. 1.

& 4. 5. 6. B. C.